



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

De S. Anastasio Martyre Sirmii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS.

thusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum : Item Petri et Marci.

2 Videntur ex eorum esse numero, de quibus Martyrologium Romanum hoc die : In Africa commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui in persecutione Severi ad palum alligati, igne consumpti sunt. Hæc oculis spectasse, qui tum vivebat, Tertullia-

num putat Ludovicus Lacerda Noster, ideoque scribere in Apologetico cap. 30. Licet nunc sarmentitios et semaxios appelletis, quia ad stiptem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Ex quo a gentilibus in nos contorto agnomine patet frequens illud fuisse supplicium.

DE SANCTIS MARTYRIBUS

HONORIO, JULIO, ANTONINO.

VI JANUARI. Hos refert Martyrologium S. Hieronymi MS. Et alibi Honori, Juli, Antonini.

DE S. POMPEIANO

MARTYRE CALARITANO.

VI JANUARI. Reliquia S. Pompeiani inventa.

Seraphinus Esquirus Ordinis Capucinorum Theologus, lib. 1 Sanctuarii Calaritani, sive historice narrationis inventarum Calari Reliquiarum anno Christi MDCXIV, et aliquot sequentibus, Calari excusæ an. MDCXXIV, testatur, in basilica S. Saturnini (de quo xxx Octobris agemus) juxta urbem Calaritanam, repertam ex albo marmore tabulam, tres palmos longam, duos latam, intra parietem basilicæ inclusam; sub qua arca erat lapidea, quæ sacras Martyris exuvias continebat; tabulæ vero hæc incisa legebatur epigraphæ :

HIC IACET B. M. POMPEIANVS QVI VIXIT ANNIS PLVS MINVS XXVI. REQVEVIT IN PACE VI. IANVARI.

Ex signo transfaci cordis colligit Auctor Martyrem fuisse, probatque pluribus in eodem libro exemplis.

2 Franciscus Esquivelius, Archiepiscopus Calaritanus, in Relatione inventarum sacrarum Reliquiarum, missa ad Paulum V, Pontificem Maximum, excusa Neapoli anno MDCXVII, S. Pompeiani quoque meminit.

Videri martyrem fuisse.

DE S. ANASTASIO MARTYRE SIRMII.

VI JANUARI. Sirmium inferioris Pannoniæ præclara quondam civitas fuit. Hic Anastasium VI Januarii martyrio coronatum, conjicimus ex MS. S. Hieronymi Martyrologio, in quo

hæc habentur : Apud Sirmiam Anastasi. Plures illius nominis celebrantur in Romano Martyrologio Sancti; nullus, qui Sirmii aut occisus sit, aut præcipue cultus.

DE SANCTA MACRA VIRGINE

MARTYRE IN TERRITORIO REMENSI.

CIRCITER AN. CHRIST. CCCII. VI JANUARI. S. Macræ in Martyrologiis nomen.

Macram Virginem hoc elogio celebrant Martyrologia, Romanum, Bedæ, Usuardi, Bellini, Germanicum, ac MS. Florarium : In territorio Remensi passio S. Macræ virginis, quæ (addit Roman. Martyrol. in persecutione Diocletiani;) jubente Rictiovaro Præsidente, cum in ignem esset præcipitata, et permansisset illæsa; dein mamillis abscissis, et squallore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas et prunas volutata, orans migravit ad Dominum. addit. MS. Florarium id anno cccv accidisse. In MS. Societatis JESU Antverpiæ Maria appellatur. Meminit illius hoc die Maurolycus, Galesinius, et pleraque MSS. atque Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano, cum proluxo elogio.

2 III Martii in MS. Adonis Martyrologio monasterii S. Laurentii Leodii hæc habentur : Eodem die S. Macræ virginis, cujus passio annotata est VIII Idus Januarii. MS. Florarium : Eodem die Translatio S. Macræ virginis, de qua VIII Id. Januarii. Wandelbertus denique :

Quinas Macra pio Nonas defendit amore.

II Maii in MS. Vedastino, quod olim monasterii S. Richarii fuit : In territorio Remensi S. Macræ virginis, cum aliis virginibus sacris. Quæ istæ aliæ sint, nondum comperi.

3 Acta S. Macræ edita sunt in Agonibus Martyrum, Acta. exstantque apud Boninum Mombritum, et Vincentium lib. 12, cap. 142. Eadem fere habentur in Flodoardo lib. 4 Hist. Ecclesiæ Remen. cap. 31. Agit de ea Petrus de Natalib. lib. 2, cap. 30. Proluxiora Acta ex codice Branensi descripsit Nicolaus Belfortius in monasterio S. Joannis de Vineis apud Suessiones Canonici regularis, quæ hic damus.

4 Loco martyrii S. Macræ habita Synodus anno DCCCXXCI. Joannis VIII, Papæ IX extat Tomo 3 Conciliorum Galliæ apud Sirmondum, cujus hic est titulus : Synodus quæ fuit acta in loco, qui dicitur Finibus Remensis parochiæ. At quæ hæc notat idem Sirmondus Noster : Hodie Fimas vocitant, celebre oppidum martyrio et cultu S. Macræ Virginis. Olim Fines dicebant, quia in finibus pagi Remensis et Suessionici. Itinerarium vetus : AUGUSTA SUessorum. FINES. Durotorum Remorum. Eadem fere habet Aub. Miræus in Chronico

Locus martyrii Fimas.

Translatio.